



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. LXVI. De sexto Præcepto Decalogi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

100 Erotem. Eccles. Cap. LXVI. De Sexto Præcepto.

Cain in fratricidium; & Fratres Joseph in ejus venditionem.

6. *Quer. Quæ.* & quot sint peccata, quæ proveniunt ex odio? *Resp.* Cum quis odit aliquem ob injuriam acceptam, provenit ira. Vel ob ejus eximias qualitates, & nascitur invidia; & hæc duo peccata sunt præcipuæ soboles Odii. Azor. d. par. 3. lib. 2. cap. 20.

7. *Quer.* An Odium in proximum sit semper peccatum mortale? *Resp.* Quod non; siquidem, licet ex natura sua sit mortale, quia opponitur præcepto charitatis, tamen potest esse veniale vel ex imperfectione deliberationis, vel ex levitate mali, quod desideratur ei, quem quis odit. Azor. *ibid.* qu. 1.

8. *Quer.* An aliquando liceat, velle malum temporale proximo suo? *Resp.* Affirmativè, scilicet ob bonum ejus spirituale; puta si diviti, & robusto peccanti cupias morbum, ac paupertatem; ut convertatur ad Deum. S. Thom. 2. 2. qu. 36. art. 2. Imò etiam mors potest ei desiderari, si sit profectura ad salutem animæ. Sotus lib. 1. de Just. quest. 12. artic. 7. Eminentiss. Card. de Lauræa in 3. Sent. tom. 4. disp. 11. num. 134.

9. *Quer.* An naturalis antipathia, quam aliquis sentit contra alium, sit culpa mortalis? *Resp.* Negativè, quando voluntas non desiderat ei malum: nam à naturæ conditione, & temperamento oriuntur inclinationes quædam circa aliquos, & aversiones circa alios ob similitatem, vel contrarietatem temperamentorum; & istæ aversiones non sunt imputabiles ad malum; quia non sunt actus liberi: sicuti neque concupiscentia; quæ, licet inclinet ad peccatum, & sit ex radice peccati, tamen ipsa peccatum non est, ex Trid. sess. 5. de Peccato Orig. c. 5. Quando verò ad eam aversionem naturalem accedit actus voluntatis, quæ sibi in ea complacet; & vult aliquod malum ei, circa quem avertitur, tunc est peccatum vel mortale, vel veniale juxta gravitatem, vel levitatem mali voliti. Ita Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. tom. 4. in 3. Sentent. disp. 14. num. 58.

10. *Quer.* Inter peccata Odii erga proximum, quodnam sit majus peccatum? *Resp.* Odium erga parentes; nam major poena imposita est pro odio Patris, & Matris, quam pro odio aliorum, ut legitur in Levit. 20. 9. Qui maledixerit Patri, vel Matri, morte moriatur. Ita Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. tom. 4. disp. 10. num. 83.

11. *Quer.* Quæ sint signa ad cognoscendum, quod quis Odio habeat proximum suum? *Resp.* Signa esse, cum incipit de suo proximo detrahere, calumnias inventare, actiones vilipendere, vias ei nocendi querere, & cum displicentia ejus laudes, aut prosperitates sentire. Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. tom. 4. in 3. Sentent. disp. 14. num. 66. & 70.

12. *Quer.* Quæ poena sint puniendi fideles, qui ab odio inter se retrahi non pos-

sunt? *Resp.* Sunt excommunicandi, donec reconcilientur. Concil. Arclaten. 2. cap. 31. Eminentiss. Card. de Lauræa in Epitome Canonum, verb. Odium. Et non absque ratione; nam Odium est malum ita grave, ut ejus causa aliqui apostataverint à fide; ut fecit Sapritius Presbyter, qui cum odio haberet Nicephorum, & captus esset à Tyrannis tanquam Christianus, dum duceretur ad Martyrium, negare potius fidem voluit, quam se reconciliare cum Nicephoro. Eminentiss. Card. Baron. Ann. 260. num. 32.

13. *Quer.* Quos Auctores legere oporteat ad prædicandum contra peccatum Odii? *Resp.* Esse legendos S. Franciscum Salecium in Philothea. par. 3. cap. 8. Rodriguez in Exercit. Pers. par. 1. tr. 4. cap. 13. & 14. Segnerium in Christiano Instructo par. 1. Sermon. 22. & Franciscum Stadiera in Inimici della Via Spirituale tract. 13. cap. 16. ubi monet, cavendum esse ab odio; nam invadit etiam viros spirituales.

14. *Quer.* Cum quis in confessione se accusat de peccato Odii, quas circumstantias debeat etiam explicare? *Resp.* Debet explicare qualitatem mali voliti, quia, si fuerit de occidendo, vel de bonis surripendis, vel detractionibus infamandi, sunt peccata contra diversa præcepta, & hæ circumstantiæ mutant speciem; prout etiam, si proximus odio habitus fuisset Patris, vel Superior, aut Benefactor, ut docui de Pœnitentia Decis. 27. n. 8. ad quam studiosus recurat.

CAPUT LXVI. De Sexto Præcepto.

1. *Quer.* Quid sit Luxuria? *Resp.* Est inordinatus appetitus sensus venerci, qui fit cum commotione spirituum generationi servientium, circa partes corporis venereas. Mastrius in Theol. Moral. disp. 11. num. 117.

2. *Quer.* Quotuplex sit Luxuria? *Resp.* Duplex; alia perfecta, quando ordinatur ad habendos actus Venereos; & alia imperfecta, quando ultimus finis non est executio rei Venereæ, sed se continet in morosa delectatione sensitiva, seu sensitivorum. Tamburin. lib. 7 in Dialog. in princ.

3. *Quer.* Quot sunt species Luxuriæ perfectæ? *Resp.* Novem sunt species Luxuriæ perfectæ, quarum sex dicuntur secundum naturam, & aliz tres dicuntur contra naturam. Tambur. in Methodo Expens. Confess. lib. 2. cap. 7.

4. *Quer.* Quæ sint hæ novem Luxuriæ species? *Resp.* Quod sunt sequentes, videlicet, Fornicatio, Stuprum, Raptus, Adulterium, Incestus, & Sacrilegium. Et hæc dicuntur secundum naturam. Porro aliz tres contra naturam sunt: Mollities, seu Pollutio, Sodomia, & Bestialitas. Mastrius d. num. 117.

5. *Quer.* Quid sit Fornicatio? *Resp.* Est

Erotem. Eccles. Cap. LXVII. De Concubinato. 101

concupitus soluti cum soluta voluntarius. Tunc autem persona est soluta, quæ sit libera à Religione, à Voto, & à Matrimonio. *Mastrius d. disp. 11. num. 118.* & est peccatum mortale, contrariumque asserere est hæresis. *Clem. Ad nostram, de Hæretic. Et novissimè est damnata Propositio 48. ab Innocentio XI. de qua Cardenas in Crisi Theolog. Dissert. 29. cap. 1.*

6. *Quer.* Quotuplex sit Fornicatio? *Resp.* Est duplex; Una ex concubitu vago, id est, modò cum una muliere, modò cum alia; & altera ex concubitu stabili cum eadem muliere ad hunc effectum electa; & dicitur Concubinatus. *Mastrius d. disp. 11. num. 118. Tamburin. in Decalog. d. lib. 7. cap. 1. §. 2.*

CAPUT LXVII.

De Concubinato.

1. *Quer.* Quæ requirantur ad inducendum Concubinatum? *Resp.* Requiritur, ut mulier retineatur vel domi, vel extra domum, ac si esset propria Uxor, & cum illa vir habeat assiduam consuetudinem. *Antonell. de Regimine Eccles. milit. lib. 6. cap. 29. num. 1.*

2. *Quer.* Quid sit observandum in absolutione Sacramentali Concubinariorum? *Resp.* Quòd in primis, & ante omnia dimittatur Concubina, tollatur scandalum, & periculum reincidendi in peccatum. *Mastrius d. disp. 11. num. 118.*

3. *Quer.* An Concubinarius possit absolvi, antequam expellat Concubinam, quando promittit, eam expellere, & ostendit signa contritionis? *Resp.* Quòd quamvis affirmativè respondeant aliqui DD. inter quos Sancius in suis Select. disput. 10. num. 4. tamen secundum magis communem opinionem non est absolvendus, ut docet Castropalaus tom. 1. tract. 2. disp. 2. punct. 9. §. 3. num. 18. Quia, licet Confessarius tanquam iudex non debeat negare contrito absolutionem; ea tamen tanquam Medicus dare non debet, ubi est proxima occasio, & periculum reincidentiae in peccatum. Et ita tenent DD. plurimi, quos citat, & sequitur *Cardenas in Crisi Dissertat. 40. num. 75. & num. 95.* ubi quòd nec pro prima vice.

4. *Quer.* An Concubinarius cogendus sit ante absolutionem ejicere Concubinam, si ipsa facta sit deformis, aut infirma, vel conjuncta consanguinitate, ita, ut cessare videatur periculum reincidendi? *Resp.* Castropalaus, quòd in tali casu possit absolutio impendi; sed tutius est non absolvere, nisi ejecta Concubina; quòd præcisè servandum est, ubi scandalum duraret. *Tambur. in Method. Confess. lib. 3. cap. 3.* Et nos in nostris Decisionibus de Eucharistia decis. 28. ubi plenè de hoc quaesito. Et *Cardenas* ubi supra.

5. *Quer.* An possit absolvi Concubinarius poenitens, qui Concubinam non dimittit, vel quia in ejus gubernio est apta; vel quia perderet aliquam pecuniæ summam, vel quia nimis tristeretur, & promittit emenda-

tionem? *Resp.* Negativè, & contrarium asserere est opinio damnata ab Alexandro VII. Quamvis olim multi DD. ex modernis eam tenerent. *Cardenas in Crisi Dissert. 40. per totam.*

6. *Quer.* An dimissa Concubina licitum sit poenitenti eam visitare vel ad alimenta ministranda, vel ad filios visendos, quos ipsa nutriret? *Resp.* Non licere, quia est periculum reincidendi, ut tenet *Beja par. 1. cap. 14.* ac etiam scandalum, à quo est cavendum. *Summa Diana Verb. Confessat. quo ad examen, num. 32.*

7. *Quer.* An Confessarius Concubinarius possit audire confessionem suæ Concubinæ? *Resp.* In jure nullam esse prohibitionem, undè rigorosè loquendo validè audiret, & absolveret, si esset dolor, & propositum emendationis; de quo tamen valde est dubitandum. *Sancius ubi supra disp. 11. num. 16.* & ideo non est laudabilis hæc opinio. Porro in Provincia Mediolanensi hoc est per Concilia Provincialia interdictum. *Bonacini. tom. 1. de Penit. Sacramento disp. 5. quest. 7. punct. 5. §. 5. num. 10. & seqq. pag. mibi 231.* & novissimè hic est casus prohibitus, ac reclusus Illustris, ac Reverendis. *Vallaresio Episcopo Concordien. in sua Synodo Diocesana, in qua egregius ejus zelus refulget.*

8. *Quer.* Quæ poenæ sint inflictæ de Jure in foro exteriori contra Laicos Concubinariorum? *Resp.* Quòd de jure communi Canonico erant puniendi arbitrio Episcopi. *Antonell. d. lib. 6. cap. 29. num. 3.* quia de Jure Civili Concubinatus non punitur. *oto tit. ff. & C. de Concubin.* At ex Sacro Concilio Trident. sess. 24. de Ref. Matrim. cap. 8. si post trinam admonitionem Laici Concubinariorum non ejiciant Concubinas, debent ab Episcopis excommunicari; & mulieres, si ter admonitæ non paruerint, debent exilio multari. *Novissimè Pignatellus tom. 9. consult. 139.* ubi amplè agit de modo puniendi Concubinariorum tam Laicos, quam Clericos, & ponit multa Decreta, ac Responsa S. Congregationis.

9. *Quer.* Quæ sint poenæ de Jure inflictæ contra Clericos Concubinariorum? *Resp.* Quòd de Jure antiquo nullus debebat audire Missam Concubinariorum, vel ab eo Sacramenta recipere. *cap. Nullus, & cap. Præter, 32. dist. cap. Fraternitatis, de Hæretic.* Item Concubinariorum Clerici censentur ipso Jure suspensi. *cap. Quæsitum, de Cohabit. Cleric. & Mulier.* Et celebrando fiebant irregulares. *Garzias de Benefic. part. 7. cap. 14. num. 11. Gloss. in cap. Cum dilectus, de Accusat.* At ex communicaliulo Doctorum hodie hæc poenæ non sunt amplius in usu: sed solum attenditur dispositio Concilii Tridentini, in quo sess. 25. cap. 14. de ref. sancitum est, quòd Episcopi Concubinariorum, vel suspectas mulieres habentes, si à Synodo Provinciali admoniti non se emendent, ipso facto sint suspensi; quòd si adhuc perseverent, deferenda est res ad Papam. Clerici verò inferiores, si moniti à Superioribus Concubinas non ejecerint, pro prima vice privantur ipso facto tertia parte fructuum beneficiorum, vel pensionum. Si